laur.

Bieżanowski Stanisl. Jos. Fastigium panegyrici operis supra trium montium gentilitiam eminentis gloriae molem.

FASTIGIUM PANEGYRICI OPERIS,

SUPRA TRIUM MONTIUM GENTILITIAM,
eminentis gloriæ molem,
MAGNO, ET MERITISSIMO HONORI,
Illustrissimi, & Magnifici Domini,

D. STANISLAI SZCZUKA,

REGENTIS CANCELLARIÆ REGNI,
PRÆFECTI LVBLINENSIS, & VILKISIENSIS,
DVM
inter festas acclamationes,
& solennes applausus,
splendidissimo ingressus publici apparatu,
PRÆFECTURÆ SUÆ AUSPICIA,
LUBLINI felicissimè ordiretur,
officiosissimo cultu, & affectu,
A
M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI Leopol.
In Alma Vniuersitate Cracouiensi,
Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Poëseos Professore,
ERECTUM,
luciq; publicæ,
CONSECRATUM.
Anno Salutis, 1688. die 5. Ianuarij.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

IN GENTILITIVM INSIGNE ILLUSTRISSIMI, & MAGNIFICI DOMINI.



In cælum montes, quod terna cacumina tollant;
Celsus id eximij, fecit honoris apex.
Cur tamen in terris qui congregat omnia, sursùm
Tollitur, & cælos respicit iste tridens?
Cordibus augustis, an fors dilecta, thronisq;,
Quod meruit Virtus, congregat ipse DEUS.

FASTIGIUM PANEGYRICI OPERIS.

PRODIGIA seculorum, excessu mentis humanæ in immensùm euecta; vastæq; molis supercilio, & minacibus ex altò fastigijs Visenda, quod captas stupore animas, duxerint aliquando in triumphum, nunc tandem mirari desino: dum capulare hoc Orbis effæti senium, inter exangues, frigidosq; rerum ingentium conatus; id etiam labentibus seculis, & in margine fatorum positis, extremo nisu gignit; quod admiratione sui, & magnitudine gloriæ; etiam ingeniorum medullas, & Phœnices animorum triumphat. Genius ille Sacer, & Origine cælestis; qui primus homines animauit: ille non Vestalis, nec de Promethei virga; sed de foco abyssi luminum scintillans, quo primùm ad immortales ausus incaluimus; purus adhuc, & illimis, quòd eòusq; hominem coxerit; vt ad prodigia operum, ex eo arserit, ceu totus spiritus, & flamma, non est quod Orbem attonitum reddat: cum vicinus principio suo vigor, manuum DEI recentissimum opus proderet. Illud voragine stuporis, etiam propiores intelligentijs absorbeat mentes; quòd Deucalionis & Pyrrhæ saxea proles; ac velùt cusæ ex informi metallo animæ; Vulcaniam adhuc incudem, & Cyclopum carbonariam olentes, Diuinos ignes concipiant, traduces è cælo spiritus ostendant; & immortalium operum anhelitu, ipsos etiam seculorum Aborigenes, & prouocent, & vincant. Laboratum est curis ingentibus, pro strue lapidum; pro muliebri Babylonico fastu; pro terso nimis ad mendacem famam, Iouis Olympij ebore; pro exesis

exeſis Rhodi fragmentis,& Solis cadauere turpi; ad extremùm pro malleô, & ſcalpro; vt animæ proiectæ, & cæleſtium inanes, dum latumias ſubeunt, & marmora tollunt; cruſtæ opificum fierent; miratæ ſaxa, maiore propudio ſui, quòd in ea degeneraſſent. Rapuerunt Orbis pupillas, & euerberarunt Capitolia, Acrocorinthi, Lariſſæ, & Mempheos bracteata fulgura: iuêre poſt Praxitelem, & Polycletum ſequaces oculi, & obſtipij capitis turbæ; vnusq; Phidiæ ſonipes, plura in ſe ora ſpectantium fixit, quàm Catonis, & Ariſtidis Virtus. Omnia hæc tamen, æuo ſuo auguſta; vnum id, quod omnium auguſtiſſimum eſt, non habuêre; ductam nimirum ex animi magnitudine, quæ vno Ioue minor eſt, ad ſiderum faſtigia molem. Supergreſſa hæc id omne, quod portentoſum nomen, ſed rerum inane; inter miracula dixit, cælo caput intulit; quod ibi, pari cum mentibus æthereis ortu, patritium ſemper fuerat. Moles nimirùm, cui baſis, & faſtigium DEVS; cuius increata ſapientia Myron; cuius compages, Diuinitatis portio; cuius finis infinita duratio, cuius ſpectator ipſe ſtupor; cuius panegyris, digitus ad labellum. Animatum hoc opus, ſpiritusq; capaciſſimi; vitale pariter, & vocale; cui dicendo idioma, & eloquium ex ſeipſo; quodq; magnificentiùs intelligi vult, quàm narrari. Quæris opus, & magnificentiam eius? quæris victrices in eo, ſeculi noſtri ex antiquo manubias? in te ipſo ſcrutare, ex qua parte Diuinus es, & immortalia ſpiras; vtiq; ex animo Diuino, admirabili, æterno; qui magnitudinis ſuæ, ſolus pollicem menſus eſt; cui quidquid comparaueris, quod terram ſapit, ſcoriam putes; qui ad immortalia molimina, ipſe ſibi Centimanus, & Gigas; ipſe dextera, & ingenium. Seculum igitur Parios lapides, & ebora locutum, ibi ſileat; vbi ipſa operis maieſtas pro ſe loquitur, quæ ex ore altiſſimi prodijt; vbi ab animo moles omnium auguſtiſſima ſurgit. Tibi eam, ſed ex Te ipſo molimur, & in aditu honoris Tui, ſupra montium Tuorum faſtigia ponimus, ILLVSTRISSIME & MAGNIFICE DOMINE; dum Tibi Orbis Poloni Veneratio aſſurgit, baſilicum in Te opus, auguſtæ Regum dexteræ non capiens; & iam Tibi ſuccumbens; cùm necdum, quantus es apparueris totus; animi & honorum magnitudine celſiùs itura, vt ex toto ſpecteris. Rudera telluris, & ſaxeas montium fibras, pro Te

non

non euiſceramus; cuniculis venarum ſectis, non agimus pro Te; vt pondera ſecti lapidis, Orbi in Pyramide tua minentur; Arabs, & Indus non gemet, obryzum in Te ſuum, & ebur omne conſumptum. Tu ipſe Tibi vena aurea, gemma, & animorum ebur. Tu ipſe montium Tuorum ſcaturigo metallica, & Peru; Tu ipſe molis Tuæ, ſine faſtu maieſtas tota & faſtigium. Nihil igitur ex ingenio noſtro, nihil ex arte, & guttis frontium pro Te cadentibus habebis. Te Orbi ferimus, tollimusq; in amoris publici brachijs; ſed quantum Te dabis, concedesq; viſendum; reuelabisq; magnitudinis Tuæ arcanum, quod pertinax modeſti de Te ſenſus, arcto ſub ſignaculo tenes. Si tamen inter auſpicia Tua, & in hoc ſpecioſiſſimo virtutis honoratæ triumpho, prout mereris, auguſtè dici vis: da genium, & ſpiritum; quem inter purpuras, & Auguſtalia Regum, conſcium maieſtatis hauſiſti; extende mentem pro Te operariam; vt ſecula cogitet, cùm in victuris de Te meditamentis, cogitabunda moratur: atq; inter hos patritiæ pompæ occurſus, vni Tibi ſpectatiſſimo, calamum & cytharam exæqua: ita Tibi, & Orbi in mole Tua prodibis, iuxta id quod es, animorum ſummitas: iuxta id, quod à me ſcriberis, ſupra faſtigiatos montium Tuorum vertices, montium & mentium apex.

Eluctari ad ſublimia, per Vaſtos rerum anhelitus, & per confragoſa omnia; quæ obſtant, & arcent: edomitis naturæ iniurijs, Alpiumq; rupibus ſale, & aceto exeſis, Orbis Capitolium, & Quirina faſtigia velle: quem non capit Macedonia, etiam ruptis Cilicum faucibus, ſpiritum Oceano Atlantico inferre: maribus quidem animis volupè; ſed non niſi cordatiſsimis datum. Decreuêre plurimi animo ſumma omnia; ſed hæſerunt in imis, mentibus aquilæ, teſtudines facto. Stetêre multi ad radices ſublimium; ſed Acroceraunia rati, puſionem animum, vnde venerat, ad crepundia ſua retulerunt, & puppas. Itum ab alijs, & enixè tentati gradus; ſed è veſtigio, iterùm moti retrò, confeſſione timoris, ceu leænam in via, vel Tygridis catulos vidiſſent, motæ ad lunam trepidarunt arundinis vmbram. Alij diù ceu capreæ penduli, ſaltuq; pernices, cùm iam propè euaſiſſent, iterum infelices Siſyphi; alij iam in exitu ſpe ſua eluſi, ceu Euridicen reſpexiſſent. Soli contra ardua obſtinati, immanè quantum animo Heroes, quantum in opere Dædali, quan-

li, quantum cauatis veſtigijs Bellorophontes; valido niſu, ac ero-ſis ceu in adamante paſſibus, omnia emenſi, eluctatiq; per ob-ſtantia, ceu Mauritani Atlantes; ſupercilia tandem ipſa, tholosq; & tritones faſtigiorum tenuêre. Grande hoc negotium, Viros poſcit, non Vertumnos: Statores, non Proteos; Cenſorinos non Philotas; animas propoſiti tenaces, quadratas, cum DEO Ter-mino non mouendas; ſi fractus illabatur Orbis, adhuc tamen rui-narum eius cumulo ſuperemin entes; quas ſi computaueris, vel Po-lycratis eas annulus, vel putamen cum Sacra Iliade claudet. In-dolem requirit, maſculam, ſeriam, arcano faſtu ante faſtigia ſua non tumentem: antequam euaſerit, virilem quidem & inuictam; ſed poſtquam euaſerit, non ex toto ſecuram; ſemper nimirùm cen-toculam, ſemper in ijs, quæ præceſſerunt exemplis defixam: cui etſi totus in alto decreuerit Orbis triumphum, nec ouantem ibi videbit, vndè triumphales etiam Viros eiectamenta hominum de-traxerunt. Molem talibus erigas, Hadriani maiorem; magnifi-centiſſimo operi intùs, ne digitus quidem acceſſit. Pyramides, Coloſſos, Septizonia pone; ſupergreſſi omnia prominent, non de-cempedâ ambitionis, ſed menſurâ virtutis. Exoſculor hæc cor-cula hominum, & ocellos, portionem immortalitatis inter morta-les ſelectam, nucleum virtutis ſine cortice tumoris, patritias cæ-lorum animas; quas etſi cælo tenùs extuleris, ſublimes ſunt, non elatæ; ſpectantur in alto, ſed quæ humi repunt, non deſpiciunt; Ioues ſunt, ſed non tonant. Culmina dignitatum, Sacri Vertices, molesq; auguſtæ omnes, tollant huiuſmodi non animos tantùm; ſed abſq; purpura, & faſcibus, Reges etiam animorum purpuratos. Montium iuga, quantùmuis Olympum tangentia, inclinent ſubli-me ſuum magnitudini huic, quæ tota ex animo venit; iuſtèq; vi-cina intelligentijs cenſetur, quia mentium apex.

Hæc Tibi ſummitas, hic montium, & mentium apex, magni-ficentiſſimo ſed ex Te opere, panegyricè ſurgit, ILLVSTRIS-SIME PRÆFECTE LVBLINENSIS, plauſus hodier-ni dulce negotium; ſed ingeniorum admiratio, & propè coronis. Molimur aliquid pro Te, ſi non ex arte noſtra, quæ infra Te eſt; ex eo certè, quod tecùm aſſurrexit Orbi viſendum; non ideò pro-ductum vt videretur, ſed vt eſſet. Vertices Tui tecùm nati, pa-

trimo-

trimonia Tua, & decora ſunt; domi habita, & iam meritis parta, antequam mereri potuiſſes; in quibus laboratum eſt à Tuis, non vt ſtatim emineres; ſed vt officij Tui admonitus, ad quæ naſcebaris, ſublimia Tua cogitares. Multi erumpunt ex angulis ſuis, & illuſtria tenent; opacarum nubium proles, vt fulgura ſint. conſcias latebrarum origines habent, & Solem tamen cum orexi ambiunt, quinimò depereunt; auidiſſimi ſplendoris, cui tamen ferendo, ignobiles palpebras ægrè tollunt. Quid illis facias? atomi ſunt; omnino id agendum, vt quomodòcunq; prorumpant, modò in ſole volitent; alias non videndi, & in nihilo ſuo perituri. Iſti certè poſuerunt lucem latibulum ſuum, vt ignorentur, qui fuerint; cùm tamen fulgentiſſimè tranſpareant, ceu papilio liquida cryſtallo clauſus, & ideò conſpectior; quibus profuerat in obſcuro ſuo latuiſſe, ne paterent, vt Macrinus ex mulione Cæſar. Mentita enim lux, non perſtringit quemquam, ſed perſtringitur. ad veram lucem, aut naſcere, aut prodi; non germen fortunæ, ſed virtutis. Lynces vbiq; ſunt, & eò quidem acutiores, quò acutiùs foris, quàm domi cernimus: ſeriò circumſpice, quamuis excellens ſenſibile ſis, non omnium te perſpicaciſſimos ſenſus corrupiſſe. Quæſitam hanc lucem, aut extortam, ſi tamen extorqueri aliquid poteſt, quòd ſpontè in cryſes influit; montium Tuorum exporrecta facies, & claritudo domi patritia, non exambiuit. In montibus enim Sol perpetuus. ſiue illum aurora vehat, ſiue in auge ſua meridietur, ſiue cum Heſpero cadat; ſemper illi montium aprica rident, & ſolium tanquam principi ſuo attollunt, vt nunquam non in culmine ſit. Prodire ſic debueras; vt auguſtos Soles in montanis ſoliorum ſuorum, non conniuentibus oculis intuereris; dignus aliquando Maieſtatis oculis; qui iam tum lucis publicæ oculos petebas; cùm Te non Seruij Tulli radij; ſed erumpentes ex animo nobiles flammæ coronaſſent. Volupè erat virtuti, Deæ Cuninæ tuæ, inter faſcias deliciari tecum; & iam tum blandè Tibi inſuſurrare; vt ſpiritum conciperes, ibi tanquam ex oraculo reſponſurum, vbi Regum faſciæ nitent, animoſq; & imperia ligant. Ab hac Tibi genius, dignuſq; Lucijs maioribus, ex vicinis Bohemiæ ceris animus; quorum ſanguinem Anteceſſores tui traducem aliundè, Sarmatiæ ciuem, & indigenam fecerunt.

 Vt

Vt enim Te, quamuis id non ambias, & Molem Tuam, à baſi quâ ſtetit, & ſecula numerat, incipiam. RASTELLINI in Bohemia Barones, Montium Tuorum, & ſuper eos felicium Raſtrorum baſes, Nobiliſſimi Sanguinis Tui fundamenta iecêre; apud conſanguineam Lechiæ Slauicam gentem, libertatis & idiomatis cōmunicatione amicam, Regniq; primordijs fraternam, Hîc tres montium Vertices, ad inſigne delecti; in quibus pacis & fertilitatis ſymbolum emineret, coaceruandis terræ germinibus aptum: ad Saturniasq; falces, & tridentes Neptunios, in ſubſidium antiquitatis non prouocans; ſatis nobile, ſatis auitum; cum Aborigenes ſuos non iactat; aut eos, qui montibus etiam, inter cætera ridicula Numina, Deorum cultus detulerunt. Machinas quoq; columnarum, aut fuſas ære Corinthio ſtatuas; vel ex armamentario Gradiui, cædibus humanis adhuc calentes gladios, vel madidas cruore Sariſſas, Raſtellini ad pompam non oſtentârunt; nobilitatem maximam rati, congeriem honorum Patriæ, & ſecuritatem publicam; quæ armis quidem paratur, ſed pacis artibus, & conſilio retinetur. Armorum tamen ſitis, in generoſis pectoribus inextincta, quæſijt Regnum armorum, & ſedes Martis patrias, transferens montes ſuos in Poloniæ plana; vbi contra barbaras gentes aperta omnia; nec aliud quòd te hoſti eripiat, niſi in pectore munimen. Spartā hic mœnibus orbā, ſed non orbatā Heroibus, ſtupet adhuc Oriens, ſola planitie, & acie cinctam, totq; ſeculis triumphalem: cùm ipſe immenſa mole terræ, marisq; tectus, elementa quaſi omnia ſorbens, iam nunc Propontidem ſuam fugiat, retròq; Arabes, Bactra, & rupes Hyrcanias ſpectet. Rhodopen hîc ſuam Thrax olim, nunc Mars Sarmata miratur; quod Tyram, & Boriſthenem, pro Hebro bibat: quod turbinatus Bizantij apex, non eo iam faſtu crepitet; quo ſibi immanè quantum plauſerat; Xerxes contra Leonidam, Thermopylis ſuis famoſus; & adhuc ad euaginatos Sarmatiæ mucrones palpitans; quamuis ipſe totam gentium vaginam, contra hoc Regnum extendiſſet; cui Lechus Pater, & conditor, ſatis munimenti prouidit, cum animas pugnaciſſimas dedit.

Armis hoc, & triumphis nobile ſolum, ſub VENCESLAO Bohemo Rege Poloniæ, Heroes illi ingreſſi; quorum Sanguis es, nacti

nacti orcheſtram Martis, quam deperibant; armorum ſitientiſſimi, periculorum contemptores, non per ſtillicidia, ſed per diluuia ſanguinis, ad pulcherrimam in acie mortem ituri, dum hic Miltiadas omnes vident, Themiſtocles facti ſunt. Apud bellicoſam gentem, tota barbarie circumfuſam, à Volga, Tanai, Ponto, Iſtro, Baltide, nullum latus, quod vulneri non pateat habentem: moloſſis Scythicis, ceu lapide molari, ad rotam mortis, & continuos belli vſus toties exercitam; data ſunt Heroicis mentibus Olympia; dati non theatrales gladiatorij ludi, non naumachiæ luxu perditæ: ſed viua mortis, & Martis ſcena; ſed infigi paratus, capulo tenus enſis; ſed Ilium vndiq;, ſecula, non decennia numerans; Pœnusq; non ſedecem annorum, ſed continuus Annibal ad portas. VITOLDVS tum, Lithuaniæ Principum Gradiuus, ſpiritu ingenti, quo ferebatur in hoſtem, Scythiam cogitans, Scythiam ardens; contineriq; neſcius, cum prima ex voto ſucceſſiſſent; contra Tamerlanem Scythiæ portentum, Sarmatas dum prouocat; exciuit bellatrices animas, quotquot tunc Marti in delicijs fuêre. Exarſit, ceu facibus admotis, bellator Sarmata, hoſtem non computans, ad duodecies centena millia armare ſolitum, ſed prælia poſcens; Tamerlanesq; poſt gentes vſq; ad Nilum, & Euphratem, ritu fulminis perculſas; poſt Baiazetis trucẽ, & infamem caueam, liberas Sarmatarum animas caueâ non concluſit. Itum, pugnatum, Marte quidem aduerſo; ſed virtute auguſta, vbi inter tot Patriæ Decios, ſanguis quoq; Tuus, in PAVLO SZCZVKOVIO, cruenta negotia egit; vbi tot decora morte conſumptos, cælum purpuratos recepit. Præceſſerat hunc, fecialis Patriæ SZCZVKOVIVS alter, Sceptrorum poſt LVDOVICI Regis mortem luctu, & interregno; Siradienſium Comitiorum decreto, cum Melſtinio, & Subinio Palatinis, ad ſedandas in Maiori Polonia, ciuilis belli flammas delectus, felix hac in re cum alijs, & Cyneas, & Neſtor; qui atrox illud armorum incendium, quod maiori plerumq; hoſtilitate, inter Ciues exardeſcit, pactis ad tempus inducijs ſedauit. Succeſsêre tempora, æuumq; illud; quod pace ſplendidiſſimum, bellis triumphale; acceſſione Prouinciarum, Victoriarum numero, rerum geſtarum magnitudine, Poloniam extulerat ſupra ſeipſam; in qua feliciſſi-

mi omniū vixiſſent, qui vixerant; niſi felices nimium, voraginem hanc malorum, quâ nunc ſorbemur reliquiſſent. Pæana maiores noſtri cecinerunt, nos claſſico viuimus. Poſt halcyonia eorum, nos in Symplegadas impegimus, iactamurq; cum Laertiade, vix non Ithacam quærentes: hoc vno ſaltem felices, quod non queramur, incidiſſe nos in tempora; in quibus ſocordes animæ, gement ſcilicet, cotem virtuti defuiſſe. Ecce quocunq; reſpexeris, modò acui velis, & cos, & cuſpis præſtò eſt. Ecce Rhodus, & ſaltus, ſed cruentus. Agas Hectorem, Achillem inuenies: & iam non foris Africa, quæ ſemper aliquid noui, ſed domi eſt. Sagum à VLADISLAI IV. temporibus non exuimus. Sub IOANNE CASIMIRO, lorica nobis propè in cutem verſa: cum Sereniſſimo IOANNE III. toti ſub papilionibus, ſæpè cum hoſtibus, ſæpiùs cum elementis pugnamus; obſonium nobis in hoſtico fames, dies in æſtu, vel turbine, nox in ceſpite duro.

Heroum ætas hæc, à flauis vndis cœpta; in quibus ante Korſunenſem cladem, prima POTOCIVS victima cecidit, ad cruenta poſt hæc diluuia venit; quatuor decades annorum iam numerans; ſed victimarum Patriæ non vnam Hecatomben, & myriadem plangens. Atrox rerum facies, cùm fœdam gentium colluuiem, partibus Roxolanis infudiſſet, oſtendit Heroas; imò quod mirùm conſumendo genuit; cum velut ex dentata ſemente, armatorum in puncto, velut in Colchide quondam, ferrea ſeges naſceretur. Hic inter tot pugnaciſſima, æui illius nomina; Sanguinis Tui nutritæ bellis animæ, magniq; Alcides occurrunt; cum fortiſſimo illo, cohortis cataphractæ PRÆFECTO SZCZVKA: qui cum Martem amaret, Podoliam dilexit; factus hoſti vicinior, quem ardebat. Theatrum Virtutis bellicæ Podolia, non vnas Cannas, & Thraſymenum experta; ſed & triumphorum Martis feraciſſima, quantum contra Orientis vires, bellatorem in eo habuerit; docuit in filio genius ille, qui Patrem toties in Pontum, & Thraciam animauit; vnum illud filio inuidens, quod inter victimas Patriæ, inter quas ille ſumma gloria occubuit, cruore ſuo purpuratus non cecidiſſet. Nimirùm quod Pater appetijt, filio Pilauiecium dedit; qui poſt Korſunenſem cladem, in

Scythi-

Scythiæ vincula ductus, Tauricanisq; deinceps compedibus ſolutus; maluit cum ſpiritu in acie diſſolui, quàm ignaua rursùm vincula pati; cùm eum triumphis omnibus glorioſiùs, decori exitus pulcherrima coronis, mors pro patria decoraſſet. Secutus eum felici inuidia, & æmulæ virtutis ſpecioſiſſimo conflictu, AVGVSTINVS SZCZVKA, cohortis patritiæ Præfectus, Vir acerrimus bello, & in Suecorum excidia natus. Senſêre tranſmarina illa capita, gladium eius vindicem; quo turmas eorum emiſſarias, ſæpè ad internetionem deleuit: fecitq; vt in viſceribus patriæ, per mille vulnera, & mortes, cruda illa viſcera profunderent; quibus ad innocentis Regni, & coronati capitis hauſtum, rictu maximo anhelabant. Fuſus ab eo, deletusq; ſæpiùs repetitis ictibus hoſtis, ringebatur totus; quod contra tanti animi robur, nihil proficeret; vnum hoc caput enixè petens, quo cæterorum Martiales animæ conſtabant: donec & ipſe AVGVSTINVS, verè auguſto ſpiritu plenus, hoſtili ſanguine toties madens, ſuumq; litare cupiens, inter confertiſſimas acies victima factus eſt, immortali trophæo digna; quòd iuſtiſſimis patriæ vindicijs immori maluerit,quàm cladibus ſupereſſe. Idē hoſtis, idem bellator ſpiritus, PETRVM quoq; SZCZVKA, in exercitu Lithuano, ad militarem gloriam exercuit. Suecus illi bellandi materies, geſtorum memorabilium occaſio, flamma cordis, & ardor; in quem cum toto pectore fertur, cùm toties armis detonat; manibus tandem hoſtium illapſus, biennale vinculum pro gloria duxit, animo liber, & inuictus; rursùsq; libertati aſſertus, vincula illa, monilia ſua cenſuit, & militaris balthei gemmas: ferocior exindè, adactoq; in viſcera Gotthici Leonis profundiùs enſe, eòusq; Patriæ vindex; donec Leo ille, euulſas hîc, in littore ſuo componeret iubas; ſtuperetq; ipſe ſuum, quod fecerat vulnus.

Verùm hæc ſubmota iam ex obtutibus noſtris, quamuis in æternitate victura; viuunt etiam nunc, in PETRO SZCZVKA Enſifero Mielnicenſi, geſtis & officijs militaribus glorioſè perfuncto; qui animo ad omnem immortalitatem exporrecto, fruitur iam ſolatio cordatiſſimi pectoris; dextraq; toties in hoſtem vibrata; & conflictus computat, & trophæa. Dulce illi, & de-

corum est; quod Serenissimi IACOBI Poloniæ PRINCIPIS, signa augusta, & Aquilas secutus; in tanto bellorum æstu, barbarum omne, quod hucusq; Poloniam exagitat, cruentis sudoribus & armis, Vice-Præfectus Legionis exceperit: ostenderitq; Aquilas tanti Principis, verè trisulci administras fulminis esse; vt Gigas ille Orientis, & quidquid cum eo Pelion, & Ossam contra nos mouet, malo suo agnosceret; ex inuicto Filio, quantum Inuictissimus Pater contra eum, & totam barbariem possit; agente id summa virtute Vice-Præfecti Legionis; vt legio tota, in facie Martis Poloni, triumphalibus laureis nunquam non incederet coronata. Hic mihi aurem vellicas, meritò dicendus seculis, in quorum exempla laboras, Heroum gemma, & amussis, VENCESLAE SZCZVKA Dapifer Visnensis, Magni Abbatis Paradisiensis germane Frater, legionis Præfecte, Gradiui Sarmatici ingens spiraculum, Montiumq; Tuorum, ex virtute bellica, verè eminens fastigium. Bellicus Tibi spiritus propè cum vbere haustus, marem animum rapuit ad id omne; quod hosticum, & vulnera spirat; iuistiq; sacro hoc impetu, quo ferebaris, tam alacer in arma, tam expeditus & ardens; ceu bellaria, non pericula ambires; ceu pectus istud prodigum vitæ, non vna in Te anima animaret. Quantus eras! & quam dici, non nisi à Te ipso potes! cum Vice-Præfectus armamentarij bellici, fulmina illa contra Orientem ad Chocimum torqueres; quæ quoties explodi iusseras, ipse animo in castra hostium præuolabas, missilia cordis vrgens; vt castris exutus, fœdèq; victus hostis, daret gloriam Deo; qui tumentia potissimùm, & cælo-tenùs eleuata, iactis fulminibus tangit. Seculis res non visa, classicum gloriæ Tuæ, & corona meriti; auxit decora tua, & æstimationis addidit pondus; cum Inuictissimi DVCIS augusto iudicio delectus Commissarius, Chocimum à Turcis, in fidem, & subiectionem patriæ reciperes; barbaris adhuc palpitantibus, & non capientibus; quomodò intra fossas suas, & munitissima castra, momentò velut hausti, ac velut fulminis ictu perijssent. Tremuerunt tum temporis Cannæ illæ, sæpè nobis fatales; sed tantis deinceps vindicijs gloriosæ: vbi nefas Turcicum, cruenta Nemesi expiatum; etiam in Pannonia theatrum virtuti tuæ, & decus immortale parauit.

Nimirum

Nimirum post Viennam, prodigiò æui nostri, ex faucibus Turcarum ereptam; post demersum in sanguine suo, absorptumq; Danubij fluctibus Orientem; primus cum legione Tua Parcanum es aggressus; coegistiq; munimenta illa, & terrori, & virtuti cedere; abripiq; eò, & prosterni; quò tota grandis victoriæ moles incumbebat. Cessêre hæc, & cum Strigonio deinceps, venerunt in augustas triumphantium coronas; ardentissimam tamen bellandi sitim tuam, vallares, murales, obsidionalesq; non exstinxerunt coronæ; quinimò in dies prouocant, & ardentiùs Te vrgent; cum Inuictissimi Monarchæ nostri, triumphalia vbiq; vestigia premas; cùm Dacas, Scythas, Thraces in prælia postules; cum nihil magis, inexplebili gestorum immortalium anhelitu sitias; quam vt bellatrix hæc anima, & vltima sanguinis in Te, quæ vnquam restabit gutta, non Tua, sed Patriæ sit. Flammæ istæ, non aris Vestalibus, sed cælo dignæ, alios quoq; ex sanguine Tuo adurunt, iamq; Heroas reddunt. Generosissimæ nimirum animæ, inflammari se patiuntur ad magna, & honesta; libenterq; eò aspirant, quò summa præcessêre; præsertim si intra sanguinis lineam sint; vbi domestica exempla, faces quædam sunt, & stimuli non ferendi. Acceptarunt eos, & iam honestissimis ignibus calent, duo Marti dilecta pectora, Tui ex Fratre nepotes **Magne Abbas Paradisiensis**, cohortium bellicarum Præfecti, ambo virtute illustres, ambo summis operibus pares, totiq; in eo positi; vt in æstu illo inuicti Heroes sint; vbi nunc res bellica feruet; ostendantq; seculis omnibus, nullum hactenus bellandi genus, nullam victoriæ palmam extitisse; ad quam selectissima bellatorum portio, SZCZVKAS intelligo; manu valida, animo ingenti non spectasset.

Bellatorum hæc gloria, & Heroicum propaginis Tuæ decus, ô quàm augustiùs surgeret! si quæ illi, consanguinearum Stirpium in Regno, & Magno Ducatu Lithuaniæ, splendidissima cõiunctio est, par eam calamus, in Panegyri Tua assequi posset. Non suffecerat enim Nobilissimo sanguini Tuo, verè à Lucijs Romanis, per tot secula, & traduces prosapias, vsq; in Bohemiam, & deinceps in Poloniam deducto, intra Regni huius viscera, meritis & gestis immortalibus fastigium tollere. Non suffecerat

in nido Vestro, bonorum SZCZVCIN ad fluuium Viſſa, à Ducibus Mazouiæ, præcellentibus meritis Atauorum Veſtrorum collato, decoris natalibus, & illuſtribus factis clareſcere; ſed quærendum erat, vicinum quoq; bellicoſæ Lithuaniæ clima, explicandæ virtuti, & porrigendæ latiùs apprimè idoneum, Gradiui præſertim incitamento; qui huc, dum bellaces SZCZVKARVM animas, illicio bellicæ gloriæ traxit; magnis Stirpibus amicas, & conſanguineas fecit. Nimirùm ſpectatiſſima vbiq; Virtus, pretium ſui inuenit; & quòcunq; eam intuleris, adamas eſt, ignibus ſuis ſeipſum prodens, & inter monilia cenſeri, etiam ab inuitis requirens. Æſtimata huiuſmodi virtus, in Heroe illo, qui primus inſignia hæc, ex partibus Mazouiæ, in Lithuaniam tranſtulit, atq; in pretio habita eſt; quæ poſtquam diuturno Martis opere, & victricibus armis inclaruiſſet: coniugales quoq;, in Ducali VISGERDORVM Domo, cuicunq; claritudini ſuffecturos, & pares meruit nexus. Data Æneæ ſuo, Ducalis Lauinia conſors, bonorum Rady hæres; cum qua illi venêre, tot mitrata Lithuaniæ nomina, tot auiti ſplendores; ad primos Lithuaniæ Principum fontes, originis ſuæ vetuſtiſſimam deriuationem referentes. Acceſſit huc Materni generis Tui, ex Ducibus NERONOVICIIS, SPILEVSCIIS, iubar illud clariſſimum; quòd à Ducum Kijouienſium, Orientalium Cæſarum, & Regum Poloniæ, conſanguineis, vereq; auguſtis ſplendoribus ortum; etiam de inſigni Gentilitio Ducum OSTROGIORVM communicans; vicit edacium temporum longiſſimos tractus; & hucusq; ſinceriſſima auitæ gloriæ, & conſtanti propagine fulget. Quantum verò coronamentum illud eſt? quod à cognata magnitudine VISGERDORVM DVCVM, & PVZINARVM de Kożielſko, quorum idem cum Magnis OGINSCIIS Sanguis eſt, & triumphalibus laureis venit? quantum gloriæ addidit fortiſſimus Heroum IVDICKI Eques Melitenſis, ſanguini huic cum tota Domo ſua, & cum tot partis ex Oriente, claſſe Melitenſium trophæis, intimè iunctus. MEDELIOS in Curlandia, Piltinenſium bonorum poſſeſſione claros, ſanguinis ſui à Marchionibus deſcendens magnificentia, quàm maximè coronet; qui tamen in parte ſummi honoris, in ſanguine Tuo cenſendi ſunt. Sint hæc, etiam cultiſſimis ingeni-

is cum cura dicenda: mihi sufficit, vt orbis intelligat, quidquid in Palatinatu Vilnensi, & Trocensi; in Districtibus Grodnensi, Vpicensi, Rzeczycensi, summa virtute clarum & nobile: quidquid in Sub-Iudice Msciflauiensi, in Pincerna Rzeczycensi; quidquid in Magistratibus Palatinatuum, ordine à Succamerarijs cœpto, toga, Marteq; visendum, ex Ducalibus hisce mitris fulgentissimè claret, vel claruit; totum id splendidissimi Materni generis Tui, pulcherrima seriè, & capacissima meritorum, & honorum amplitudine contineri.

Hîc Te consultò seruaui, ac velut inter Erythræas gemmas, vnionem sine pari; omnium nempè dotes, & pretia complexum; atq; inter tot Regias coronas probatum; vt signaculum magni Sanguinis Tui, supra cor eius ponendum, ac velut monile cordis reposui, CASIMIRE SZCZVKA Abbas Paradysiensis. Vnionem Te Domus Tuæ dixi, non meo; sed tot coronatorum capitum; sed Patriæ totius, æuiq; nostri, magno de Te, constantiq; iudicio; sensuq; omnium, qui ex tripode sapiunt, vt oracula dicant. Vnio quippè, si concharum ex rore matutino partus est; si profundo maris tegitur; si magnitudine, candore, pondere, & pretio, reliqua gemmarum monilia vincit. Tu certè dotum istarum, & compendium, & verè vnio es: cui ros cælestis, animi puritas, & elegantia: cui candor ex ebore mentis; cuius magnitudo ex virtute, pondus ex authoritate, maris profundum ex intelligentia; pretium deniq; ex Regum æstimatione; sed maximum ex Te ipso. Nihil enim pretiosum ducis, quod aliundè venit; sed quod verè Tuum est, & re ipsa magnum, non gratiâ, sed merito; non suauiter inuentum, acceptumuè; sed operosè sudatum, nulliq; debetur, nisi Tibi. Animus ille Tuus, Principum sanè genius, & mens ipsa, exegit rigidam priùs à seipso censuram; donec alijs prodiret in amussim, & exemplar; tot meritorum tractu, tanto in summis negotijs rerum vsu, & iustissimo sui apud Regales thronos pretio, inter gemmas Patriæ, vnio tandem factus; locum non alibi, nisi in Principum pectore, & medulla imperantium meruit. Hîc Tibi coronatus gratiæ sinus, hîc cortina Delphis omnibus sacratior, de qua locuti sunt Magni Principes pro Te, summa omnia, & augusta; sed

nullum

nullum augustiùs, quàm os illud, quo Orbis sapientia loquitur, Serenissimi & Inuictissimi, IOANNIS III. quod pro gemmis omnibus, vnum sensus Regij; sed vnionem omninò dixit, dum censuit: Vnū adhuc superesse Abbatē Paradysiensem; qui capacissimæ intelligentiæ, & rerum summæ experientiæ, velut quoddam vniuersale subiectum, vnus omnium animi decora est complexus. Vicit hoc elogio Princeps, ingenium & elogium omne; Tuq; vicisti in hoc Principis de Te sensu omne id, quod de Te dici potest; dicendus non nisi ab eo; qui Orienti silentium, & ingenijs de se omnibus indixit: Princeps inter Monarchas Europæ triumphis magnus; sed sapientissimo iudicio incomparabilis. Nimirùm sensus hic, ex illo Augustali maiestatis; in quo de Te Serenissimi olim Principes IOANNES CASIMIRVS, & LVDOVICA, fastis immortalibus digna sensêre, dixêreq; quorum in Regali solio Successor, aureos de Te sensus, velut annuli gemma conclusit. Nec verò blanda hæc, vel obsequio expressa; sed rebus ipsis valida, & prudenter de Te sentientium, propè decreta sunt: quæ Tu, illa animi magnitudine, & morum comitate; illo affabili dulcore, & mentium suaui inuitamento; illa Tui communicatione ad omnes, & constanti vbiq: gratia: ac quod maius est, illo rerum Diuinarum amore, illis centoculis circa puritatem conscientiæ excubijs; illa tornatili manu aurea, in opus Basilicæ Diuinæ magnificentissimum, effusisq; in charitatem proximi visceribus; & quæ in arcano tuo, soli DEO nota, cælum Tibi inclinant, honoresq; ex ipsa fuga honorum; sed perpetuos augent; supra id omne mereris; quod Tibi iudicio publico decernitur; quod magno nomini tuo, summa apud posteros ingenia parant. Sufficis certè vnus, in sanguinis tui decus, omni seculo; quod à calamo scribentium expectat, quod ambit; vt proponat ad Ideam virtutis; zelo fidei, Ecclesiæ bono, meritorum compendio, inuictoq; animo contra illicia fortunæ, & gradus eminentiores admirandum. Fastigia gloriæ tuæ, in montibus Sanctis, pietate DEO dilecta posuisti; quos domi tuæ gentilitios habes; nihil tamen ex ijs fastigio mentis tuæ, accessit; quæ tota in se composita, tota DEO adhærens, nihil sublime æstimat, quod Orbis brachia tollunt: sed quod sublimat

ille,

ille, qui in altis habitans, & montium cedros, & myricas conuallium nouit. Triumphum hunc dixerim, magnitudinis animi, & constantiæ tuæ; in quo manibus post terga reuinctis, quas tibi propè violentas inijciebat, speciosissimo vincendi genere, dum recusas, dum fugis, honorem ducis triumphatum.

Dicendus iam mihi venis, post sanguinis tui decora, dicendorũ flos, & emedullata portio eorum, quæ Domi tuæ magnifica, visenda, & illustria sunt, vel fuêre, Illustrissime Regens Cancellariæ Regni, Præfecte Lublinensis. Datum est hactenùs seculis antiquioribus, & nostris; vt inter auspicia honoris tui, prodirent in Orbis faciem; à quibus in propaginis tuæ coronamentum, Marte, togaq; seriò, & gloriosè laboratum est. Sed quantum est istud, quod attingi poterat? maiestate sua profundiùs absconditum; quàm vt reuelari possit, & ex sacra cortina sua produci. Moles hæc seculis constat, Latium, Bohemiam, Poloniam, Lithuaniam, Russiam, ad gentilitios splendores tuos inclinat; gemmas hominum, in Ducalibus mitris tibi infert: nobilissimas Septemtrionis stirpes, patritio sanguine in Te deriuat. quis hìc calamus suppar? aut quæ ingenij tam exporrecti vis? vt in retroacta secula, pari talium comprehensione eat, Tibiq; dicendo sufficiat. Vnum tamen in laudibus tuis felicissimum est, quod in Te omnia claudas; & absoluas in puncto; repræsentesq; animi tersissimo nitore; ceu omnium crystallus diaphana, & dignum Archimede opus. Tecum ergo res mihi; sed in quo æuum illud omne video; à quo descendis; & quod in Te magnarum mentium genio spirat; vt quod de Te dicetur; eos quoq; coronet; quorum animos complexus, factus es vtriusq; æui dulce vinculum, & corona. Nimirùm non ex eo socordi, & ignauo cætu hominum haberi vis; quibus sufficit, Ninos, Agamemnonas, Priamos, & si quid vetusta carie temporum, magis exesum est; inter rudera prisci sanguinis, & ignotas origines scrutari; seminasosq; Claudiorum, vel fragmenta truncatarum faucium in Coclitibus, grandi Atrio inferre; vt obsiti puluere, cùm maximè squallent, splendeant sibi miseri; ostentatores sine anima spiritus, in saxis, & crustis informibus habentes. Diceres illos sacramento adactos, vt post Maiorum opera, ne digitum quidem moueant; vt quæ non fe-

 cerunt

cerunt ipsi, patrimonia sua putent: inanesq; cicadæ, formicarũ granaria iactent, cum fame boni nominis, penitùs enecentur. Pulcherrima dos naturæ, & fortunæ, magnus & altus sanguis; verùm si in animam informem inciderit, positus ex aduersò, dedecus auget: cùm nulla grauior sit exprobratio, quàm si desidem, & iacentem animum, facta maiorum immortalia arguant, degeneremq; conuincant. Illa pars mortalium cælo vicina, illa natalibus ipso cum Ioue digna; quæ non ideò Curios, & Serranos domi suæ allegat, quod Argi circa virtutem fuerint; vt neglectu posteri, & lethargo torpescant; sed vt laboratum tot seculis, vetustissimæ gloriæ opus, magnificentiùs quàm acceperint, cum æternitate tota exæquent.

Inter hæc Diuina sanè pectora, Tu mihi venerabile Maiorum tuorum Pantheon es, in illo mentis sacrario; quo cum recepisses, dignum Heroe spiritum; vimq; illam prisci sanguinis occultam, quæ Te, ad summa omnia erexit; ne momentum quidem passus es, quo cessares ab ijs; quæ tanto genio, & tanta vi motrice intùs, poscebant impelli, & viuacissime animari. Montibus tuis, tanto gloriæ, tantoq; rerum sublimium congestu fastigiatis, non eras contentus, spectari tantum, ac velut in theatro personam agere; sed cogitasti magna mente, & egisti, quod illis ex te ipso accederet; adiecistiq; de tuo culminibus istis, tantum eminentiæ & honoris; quasi in eorum altitudinem, nemo ante te laborasset. Ingenium quippè viuax, erectum, sublime, indoliq; præcelsæ coniunctum, felix naturæ bonitas Tibi cum dedisset; vsus es eo sanctè quidem, castè & innocenter; sed tamen seriò, grauiter, & exquisitè, adhibita eleganti literarum cultura, eoq; bonarum artium apparatu; qui ex sapientiæ gazis, & maiestate illa scientiarum, quæ antiquitatis gloriam sapit, abundè conquisitus, summæ capacitati tuæ respondit: delecta ad id, Regia Cracouiensi Pallade Iagellonica; quæ Te Regibus dignum instrueret, formaretq; mentem, & manum illam; quæ augustos deinde Regum sensus, Regiè planè conciperet; Orbiq; cum maiestate throni, & styli purpura communicaret. Hîc Cecropia tua, hîc Athenæ, ingenijq; præcellentis, ac verè aurei, Lydius lapis; ad quem probasti sincerissimum illud animi tui obryzum; quo

nunc

nunc etiam, inter coronarum gemmas, & inter oracula augustæ sapientiæ, verè tripos aureus fulges. Multis eruditio, osq; , & calamus felix, publicæ felicitatis scopulus, facundaq; Charybdis, ad perniciem obtigit; qui ideò excellentiùs sapiunt, vt ingeniosiùs fallant; quorum fusis in chartam altis quidem, sed ex Sinonis genio sensibus, non sepia, sed spongia opus. Prata eruditionis peruolant, flores vbiq; carpunt, succos politici sensus emungunt; & post hæc omnia, cùm apes fieri debuissent, fuci euadunt. Secula illis antiqua in ore, dolus nouissimus in mente: cum Tacito loquuntur, cum Tiberio sentiunt: Seneca illis Stoicè dictat; sed dictata Nero exequitur; Aristidem laudant, sed ostracismum illi cogitant. Quid prodest, fontes eruditionis non libasse tantùm, sed exhausisse? si aconitha ex ijs bibimus, si illime vertimus in turbidum; si perpetuo magnæ prudentiæ haustu, ambitus, & philautiæ viuimus sitientissimi, Tantali infelices, Midæq; auro pleni, sed obryzo bonæ mentis carentes. Animus ille verè sapiens, calamus ille seculis dignus; cui tota vis in eo; vt Orbis illi gratias agat, quod didicerit, vt sanctè vtatur; quòd manum in scribendo moueat, vt motus animorum non irritet, sed componat; eamq; non nisi politiem censeat; quæ magistra virtute, & veritate profecit; quæ colorem, vt chamalæon non mutat, cuicunq; se coniunxerit; sed oderit fucos & colores, animo vbiq; constanti, & illibato.

Exosculari licet hoc in Te purum, hoc innocens, nec temeratum vlla ementiti candoris admistione pectus; quod in Te Musæ, & Gratiæ omnes, cùm insedissent; inter tot erudita decora, primam tamen virtuti sedem concessêre: à magno ingenio non requirentes, splendidos magnificè sensus; sed virtuti conformes: atq; illud in sapientia maximum, sobriè, & cum modo sapere: cùm plùs scire velle, quàm necesse est, quoddam genus intemperantiæ, Romanus sapiens censeat: & cùm ingenia, vbi modum excesserint, luxurientur ceu Massico pota: nimiùmq; sibi tribuant, ex eo, quod ad fastum distendit. Tibi ex literis mens quidem culta, & elegans; sed mascula simul, potensq; sui, nec redundans ad pompam. Calamus quoq; par cultissimis, grauis, solidus, eruditus; sed nimiùm affectatos nitores exosus,

& quaſi cum illo animo natus; quem diſpoſitio ſuperna, curis promiſcuis exemptum; ijs potiſſimùm, quibus rerum momenta in imperijs conſtant, deſtinabat. Acceſſit illi, robur in negotijs infractum, viuax agendi dexteritas, expedita vis prudentiæ; labor fatigari neſciùs, temporis parciſſimus, prodigus operum, inertiæ hoſtis. Poſcebat ergo iam tùm Olympia ſua, theatrumq; virtutis: circumferebat obtutus interiores, per omne genus meriti; cui ſe maximè daret: auebat irrequietum aliquid, idemq; ſummè decorum; quod mentem attolleret ſimul, & exerceret, faceretq; ſemper in expeditò. Palatia, Curiæ, atria Principum, & ſecretiores cortinæ obuolitabant: Conſus, & Themis Senacula; Mars rigorem, & ferox ſupercilium, cruentisq; meritis parata, triumphorum oſtendebat conchylia: hærente animo, & ardentiùs optante; vt per hæc omnia ductus, & exercitatus; lineam meriti abſolueret omnem, & vtramq; gloriæ adimpleret paginam.

Agite nunc boni Superi. date animo huic, tàm magno, tam capaci; indoliq; huic, & virtuti excelſæ, latifundia meritorum & gloriæ: explicate ſpatia meditatis in æuum operibus apta; atq; vt hæc moles pulcherrima, montium ſuorum faſtigio altiùs ſurgat; date compagi baſim immotam, date locum auguſtum. Veſtræ ſunt ſcintillæ, Veſtri ignes, & flammæ; quibus ad ardua, & præclara, ſuauiter primùm, mox ardenter incaleſcunt, qui luci publicæ deſtinantur. à Vobis magnitudo animi, & mens erecta, poſcensq; mereri, cælitùs data venit; non ſurrectura tamen, niſi eam Orbis Atlantes eleuent; & cùm dederitis, excellentis animi raſam tabulam; quæ in ea aureos characteres æternitati ſcribat, manum etiam date. Benè eſt, abundè eſt. Audita vota, probata deſideria, decretus ab altò locus, & quidem omninò auguſtus, & quo nullus auguſtior: nimirùm apud Orbis Auguſtiſſimum Monarcham, Sereniſſimum IOANNEM III. Ab hoc ſapientiſſimo Principum, pupillâ omnium terſiſſima viſus: ab hac Europæ Intelligentia, mira animorum penetratione cognitus: ab hoc coronatorum ſenſuum Oraculo, delectus es; vt in oculis tantæ maieſtatis, quidquid in Te electum fuerat, conſpectiùs appareret: vt hæc occaſio, quâ nulla

maior,

maior, ostenderet Te magnum animo, & maximo Principe dignum: in cuius gloriæ trophæum, Orbe toto magnificentius, cùm omnia cedant: etiam id, quod de Te dicitur, restatq; dicendum, concedere debet: vt tota tua, cui Te totum debes, & cui pro Te gratiæ debentur, augustior sit in Principe panegyris.

SCUTUM
ORBIS CHRISTIANI,
&
DELICIVM,
triumphati Orientis terror,
& gemitus,
conseruatæ saluo Clypeo tuo Europæ,
Magno maior Epaminunda,
Vniuersa Martis, & Palladis maiestas,
ATLAS, & PARENS PATRIÆ,
REGUM INVICTISSIME,
SERENISSIME IOANNES.

DICERE de eo, quod post DEUM, cuius omnia sunt; ex vi communicatæ ab eo potestatis, & ex augusto opere Tuum est; & non dicere de Te ô REX! qui hoc visendum, dicendumq; fecisti; idem esset, quod oculo pupillam, Solem mundo, homini eripere mentem. Si quid hîc molimur, quod secula ferat, de Tuo est: qui seculis omnibus tecum, negotium dedisti; vt omnium cogitationes excedas, exempla vincas, acumen hebetes; & cùm de Te, quantus es, meditati fuerint, nullius intelligentiâ capiaris. Si quid in Tuis, quos Marte, vel togâ, vel ex vtroq; Cæsar; Maiestatis Tuæ nobile paradigma, magnæq; lucis illius, quæ in Te fontem suum, & iubar omne habet, rima quidem; sed fonte suo digna, tota nempè lu-

cida est. Data Tibi, ab Exercituum Domino manus bellatrix, hostium vindex, contra Gigantes orbis fulmina torquens, triumphalis Capitolij architecta; & in propugnando Orbe Christiano, pro Centimanis vna: sed eadem quoq; animorum formatrix, ingeniorum lima, sententiarum statera, bonarumq; mentium exasciatio; à qua si quid bono publico leuigatum, politumq; fuerit; ne Phidias quidem ebori suo limatius adiecerit quidquam. Bellamus Te Duce fortiter, inuictè, gloriosè; & si qui Scipiones, Marcelli, Decijq; bellando euaserint, Tu Gradiuus eorum es. Consultamus prudenter, sed Te Conso. sapimus grauiter, sed ex Delphis tuis. Sentimus benè de Republica, sed Te Nasica, & Catone. respondemus confoederatis Principibus, & populis, pro Te augustè; sed Tu Regium idioma, in respondentium ore posuisti, & omnium Suada es. Quid ergò non Tuum? si quid exactum, si quid cum cura dicendum, proponendumq; orbi in exemplar. Quid Te effugit, quid latet? si penetrare velis. quid Te non loquitur, si inspiraueris. quid Te Orbi non monstrat? si operi adieceris manum. Ex operum tuorum Augustali, & istud est; quod hic miramur; & quod tollere fando cum volumus, miseri obruimur pusiones; molem dicendo meditati, cui Tu basim, compagem, & fastigium dedisti; cùm ne digito quidem, tangere eam liceat. Fatigat nimirùm ingenia, superat artem, robora scribentium, & mentes æneas frangit; quod Tu compactum meritis, formatũ gratiâ, eminens virtute, duratoq; in æuum beneficio solidasti. Omnia hæc, in Regiæ Tuæ dexteræ exquisito plasmate, Magnoq; Heroe STANISLAO SZCZUKA, quem hic dicimus, orbi spectatissima, ingenijs admiranda, omni facundiæ erepta, vel ideò nouimus, quod Tua sint, & Tuæ conscia maiestatis. Elegisti, vocasti, probasti, dilexisti, honorasti, & extulisti ô REX! sed ex dotibus, experimentis, & ex merito; sed ex illo Regiæ mentis Senaculo; in quo, cùm quidpiam, de aliquo decernis, Sybillæ folijs sanctius, & pro oraculo habendum est. Animi elegantia, cultura erudita, ingenium ciuile, calami felicitas, dicendi gratia, morum suauis temperies, arcanum cordis illibatum, summa in Te Principem fides, & omnia, quæ in hoc pectore vnicè æstimantur; pretium sui, in immen-

immensùm vel ideò adaugent; quod sub manu tua Regia fuerint; conuictione tanta mentium, indicioq; sui; vt si authorem quis nesciat, quàm augustus fuerit, satis ex opere constet. Id nimirùm hîc egisti ô Magne REX! quod vbiq; soles, quòcunq; Te verteris, immortalium operum author, gerendorum amussis, Cynosura mentium; ac velut sol ille cælestis; qui animorum viscera penetrans, si quid in ijs dispositum inueneris, meliùs depuras, excoquis, perficis; ac vt in venas auri, metallo purissimo abundent, radio maiestatis, & excellentiori virtute operaris. Debemus Tibi obryzum hoc, in tanta seculi nostri ferrugine; in qua, & Te ipsum Principem nobis ab aureo æuo: & quos deligis, bello paciuè idoneos, verè aureos Heroas exhibes; totusq; in eo es; vt non omninò in chalybem desinamus. Hoc subsellia, curules, Senacula; hoc castra, legiones, exercitus; hoc sacræ Cathedræ, mitræ, purpuræ loquuntur. Tuq; omnium splendor, & maiestas; qui in tanto rerum turbine, & puluere Martis; faciem Reipublicæ magnificentissimam, vsq; ad triumphos conseruas. Quãtum id gloriæ Octauiano Augusto fuit? in summa Orbis pace, Romam propè auream fecisse: fecisse id, postquam Consules cæsi, postquam exercitus sanguine hausti, postquam fulmen Punicum in visceribus hærens, ad Anienem spes Italiæ vltimas eripuisset, in ipso deliquio rerum, & palpitatione, tum demùm gloriæ fuisset. Prospera quippè dum affluunt, spontè imperantium fastigia attollunt: sed in Lacinijs fortunæ, inter obluctantia vndiq;, & squallida passim, conseruata Reipublicæ salus, & maiestas; hoc est, quod augustos Principes, etiam in Isthmo angustiæ, Dijsq; proximos reddit. Triumphalia tua ô REX! non vidimus in fiore, & purpura seculi illius; in quo à Ponto, vsq; ad Balticos sinus; ab ipso propè Volga, & Moscuæ fibris, vsq; ad Carpathum protensi; vsq; ad lenocinia felices, animoq; ad intemperiem effusi, beati nimiùm fuissemus; si bona nostra intelligere, vicibusq; alternis prouidere voluissemus: sed cardinibus regni iam propè conuulsis, fragmentisq; passim iacentibus; sed superincumbente extremo halitui nostro, Orientalium armorum mole, intra fatalem spiritus illius agoniam; qui regnis & populis aliquando emotis, vsq; ad Albim, & Borysthenem, in columnis

ferreis steterat inconcussus. Hæc lacera carbasa Te nauclerum; semiruta castra Te bellatorem; hæ legionum inclinatæ acies Te Ducem exceperunt; & cùm omnia dehiscere viderentur, Te Regem, & triumphatorem extulerunt. Reputet secum, cui non summus videris, illam voraginem cruoris; quæ os immane, à bellis seruilibus, vt aperuit, quid non hausit? Curtios Poloniæ nobilissimos, ab illa absorptos, sola æternitas computat, sola nouit. Ab hac voragine Tu bellator, cruenta omnia expertus, & supergressus, adhucq; manibus, & gladio vrgens; quam hostiles mille victimæ cruentarunt, in tua verè purpura triumphas. Antequam ad clauam Imperatoriam ventum, per omne genus hostilitatis, relegant gradus tuos; gradus veteranos, & in rupe cauatos; Tyrones isti, nuperrima pluuia nati; quorum memoria tantùm non nisi attingit, quantùm limax è sua testula prostat: relegent sanè, si tamen ea cordis latitudine sunt; quod nec concipere vnquam, nec satis obstupescere possint. Bellaces animæ Vos appello. sed vbi estis? si tamen alicubi superesse concessum, date Principi fidem, date fidei signacula, tot profluuia sanguinis, cum hoc Duce per vos emensa; qui diu inter hæc periclitari voluit; vt sciret, quæ iuberet Imperator; qui validus vbiq;, & animo ingens, Solium hoc, quo nunc eminet; ipse sibi Cosacicis, Scythicis, Moschouiticis, Sueticis, Otthomannicis deniq; trophæis sublimauit.

Hic thronus erat, in quo iam consederas ô REX! antequam electus, & inauguratus fuisses; tollentibus Te in altum, ceruicibus hostium calcatis, quos vicisti; & necdum succollantibus Patriæ humeris, iam summus eras, iam regnabas; destinatione omnium, & voto, meritoq; tuo tam eminenti; vt thronum hunc attigisse, & exigere visus fueris, confessione ipsius etiam delicatissimæ libertatis. Suffecerat sanè, vel sola, in qua tunc orbis defixus hærebat, memorandi ad Chocimum ex Otthomanno triumphi magnitudo; vt erigeret vota, tolleretq; secum vsq; ad Augustale hoc; in quo nunc spectaris coronatus meritis; satisq; carus Patriæ, satis Orbi fulgidus, etiam sine gemmis. Ipsa species augusta, ipse natiuus regnantium vigor, sudumq; illud innube semper, & nunquam perstringens; idem hostium terror, &

Ciuium

Ciuium dulcor, absq; blanditijs alliciens, absq; ruga conuincens; imperio Te natum, & sine circumstantibus pilis maiestate plenum; etiam cùm Te inclinas, Principemq; exuis, vt Patrem induas, iam non arcano numine fatentur. Sceptra Te inuenêre iam augustum, iam dibapha animi tui purpuratum; in qua ostendisti Regiam mentem tuam, quam ante coronam prætuleras; in corona, Vesuuio toto ad res maximas incaluisse. Seriem earum non texo, vastissima est. Periculosa non edissero, in oculis sunt. Victricia non computo, adhuc in stupore tenentur. Post Turcas, & Scythas in Patria, cum validissimis exercitibus, incomparabili virtute, & fortitudine tua sæpiùs exceptos; & rem agi cum inuicto Achille expertos: si Viennam dixero, satis dixisse videbor; opus sanè augustissimum; & in quo, etiam maximis triumphatoribus quiescere, non indecorum fuisset; sed non Tibi; qui non vt triumphes, bella geris; sed triumphas, quia gessisti. Compages illa sacri fœderis bellici, contra Orientem, inspirata quidem cælitùs, sed per obluctantia surgens; animis in contraria, ob immanem domi scopulum discedentibus, Tibi post DEVM, quod coaluerit debet. & quia etiam vinxisti, etiam vicisti; DEO in Te vincente, & triumphante; ad cuius Aras, ante, & post victoriam prouolui, atq; cum dulcibus lachrymis, Te ipsum inter manubias dare, tota Tibi fuit victoriæ summa. Fata Viennæ, vorago periculi, Orbis gemitus, spes deploratæ, portentosa vis hostium, sors vltima sub ictu; & mox vita, libertas, & triumphus in puncto, seculis Te dicent; etiam nolentibus ijs; qui post accepta beneficia ringuntur, & post oscula rodunt: Patria verò nostra cohorrescente adhuc, & serò reputante; quid foris in Te corde suo fecerit; domi excors, & semianimis; quãq; prodiga Tui, & sui, omnia simul dederit sub hastam. Verùm hæc impendia sanguinis, pro DEO & fide sincerissimè data; hæc tua immemor sui, memor iurati fœderis, in mille discrimina profusio; nouo ad Parcanum, & Strigonium repensa est triumpho; & immenso deinceps gaudio nostro; cùm è Pannonia redux, antequam in oculis, iam in sinu, & complexu Patriæ esses, in animis sine pompa triumphans. Præuenisti omnia, quando venisti tam moderatus, ceu nunquam vicisses, capi difficilis,

impoſſibilis dici; vno tamen omnia claudens, quòd deſideratus, & amabilis. Et nos quidem defixi toti in Te hæſimus; & ſatis nos vixiſſe, Te viſo, imò nunc tandem Viuendum cenſuimus. Tu verò oblitus eorum, quæ geſſeras; & totus in ijs, quæ gerenda inſtabant, præſentibus quidem gaudijs modeſtè fruebaris; ſed iam claſſica ardens, ad Tyram, & Iſtrum animo verſabare: appenſiſq; in ſacro Capitolio Vauelano, Deoq; dicatis opimis ſpolijs: iuiſti tam alacer, tam expeditus, auiduſq; bellandi; ceu nunc primùm, ſpatia Tibi meritorum, Gradiuus expandiſſet. Non retardârunt Te publicæ gratiæ; legationes Principum, exquiſiti nationum applauſus; in quorum delicijs, & oſculis, cum præſens eſſe non poſſes, Icones tuæ fuere; in vultu tuo Martem ipſum agnoſcentibus, & decernentibus cunctis; ſic pugnare, ſic vincere, non alium niſi Te debuiſſe. Quantus ille, vel vnus mentium interpres, Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ Legatus, Magni Moroſini germanus, & eminentiſſimus ſanguis; cùm Te in armis, & contra hoſtes detonantem vidiſſe; inexplebilis voluptas, & animi triumphus fuerat: opportuno ſanè experimento; vt barbarum iſtud, fugax, & inops hoſtilitatis genus, quod nos à Ponto exagitat intelligeret; magnos tecum Heroas, ne auguſtiùs pugnent, & vincant, ab hiſce turpiſſimis Harpyis diſtineri. Et tamen, ſi hoc ſolum, REX Inuicte feciſſes; quod colluuiem illam, & magnarum victoriarum fœdiſſimum obicem, in Te morari feceris; Orbis Tibi Chriſtianus gratias deberet, nunquam pariter reſponſuras. Sed quis hæc capit? crinitamq; ſontibus hydris Tiſiphonem iſtam, quis vt eſt, ſecum reputat? aliud enim eſt Phormio ad menſam, aliud Annibal in acie; aliud Roſcij pes in ſcena; aliud Scæuolæ manus in igne; nempè vt differunt acumine gladij, ſic hoſtibus bella. Si tot viſcera Optime Princeps, habere poſſes, quot profundere cupis; vt emiſſarijs iſtis canibus, latus pugnaciſſimæ gentis, ex hac parte non pateret ad offam: ires in acinaces totus, ſpelæaq; ipſa peteres; vt lamiam hanc inferni, adacto in viſcera enſe, vno ictu confoderes totam.

Hoc egiſti ad Camenecum, præſens ipſe opera immortalia vrgens; nubemq; illam Scytharum, quæ copijs tuis ſuperinfundebatur,

debatur, & mox diſſiliebat, clade non vna, vsq; ad maiora quàm
Tyræ, barbari ſanguinis diluuia permiſcens; donec inuicto ro-
bori tuo alliſa, in finibus Patriæ penitùs diſpareret. Hoc exer-
citus tuus, cum Magnis Ducibus ſuis, per fatales illas Dacicas fau-
ces, ſumma virtute, vsq; ad ſtuporem hoſtium eluctatus; cæſis
quibusq; ferociſſimis, & illæſis Aquilis noſtris, ſupra ſpem Patriæ
egit. Hoc deniq; anno ſuperiori, auguſtus ipſe genius Martis, &
bellator exercituum ſpiritus, in ipſis viſceribus ſuis hoſtem ſcru-
tatus, & prouocans egiſti; cùm tranſmiſſo Tyra, ſedeq; Daciæ
in fidem recepta; Turcis & Scythis eminùs obuolitantibus, &
congredi non auſis; non tam cum hoſte, ſed cum ipſis elementis
pugnabas: cùm omni pabulo, in campis Budziacenſibus, à face
barbara funditùs exuſto; fluuijs, lacubus, & fontibus ipſis ab ar-
dore ſolari exſiccatis; tellureq; ipſa ſciſſis ob nimios calores hiati-
bus, paſſim in voragines diſcedente; æſtu, fame, ſiti, in immen-
ſum premente; ſupereminebas omnibus; quæſitosq; tandem,
cæſos, & captos plurimos, quod in fugaciſſimis rarum, alios per
Nemeſim gladij tui, gratas Orco victimas; alios in fœda Patriæ
mancipia dediſti. Suſtentata viribus tuis, & auerſa barbaries illa;
ne ſe Turcarum copijs in Pannonia iungeret; ne ſpecioſſimo ex
Buda expugnata triumpho, obſtacula daret; eorum, quæ tum
geſta ſunt, ingens momentum fuerat; dum in rem Chriſtianita-
tis, non vno diſcrimine noſtro, paſſim geritur; vt penes alios
fructus victoriarum ſit, penes nos vulnus, & ſanguis: & tamen
dulce adhuc eſſet, etiam hac voragine ſorberi; ſi id, quod iam
nos per annos quadraginta cruentat, æquam rebus ſtateram da-
ret. Ecce immane iſtud, quod nos circumſtat; cum quo lucta-
mur; quod ipſa etiam natura exoſum, & abortiuum habet; in
maximo nuper Moſcorum exercitu, Orbi & ſeculis reuelauit;
quomodò non Hyrcanis quidem rupibus; ſed horrido deſerto-
rum tractu, ab hac macerie; intra quam Mæoticum iſtud pa-
luſtre dedecus latet, diuidimur, cui tanta armorum procella,
tantusq; non ſuffecit apparatus; vt negatis à natura elementis,
potentia ſuccurreret. Iudicet ergo Orbis, & Te Martem no-
ſtrum cogitet; quomodo, & vbi, & cum quibus copijs rem ge-
ſtas; & quàm tecum Patria noſtra, etiam auulſione tot Prouin-

 ciarum

ciarum ad Moſchos; truncata membris, & quidem tantis, iamq; vix oſſibus hærens, mutilum iſtud, & lacerum corpus habere malit; quàm orbis Chriſtiani ſalutem, & integritatem mutilari. Hic ille zelus eſt, quo ardes, quo animas cunctos; nec tanti æſtimas, hoc pectus tuum cordatiſſimum, quo calemus; hæc tua viſcera, quibus fouemur omnes; modò viſcera Chriſtianitatis, Thrax iſte, vel Scythicus non rodat moloſſus. & ſi Solem quoq; cum Ioſue, verbo ſiſtere poſſes; vt prælia Domini, calentiùs ferueant, & vincant; etiam capitis obiectu id ageres; victoriæ lucro, & trophæo maximo, ſi per vulnera, & diſpendia tua, triumphet DEI cauſa. Quo quidem ingenti ſpiritu, etiam Conſortem tuam Regiam, Auguſtam noſtram, Sereniſſimam MARIAM CASIMIRAM, ſeculi noſtri Heroinam feciſti: cui non ſufficit, coram Aris pro Te, & ſacris puluinaribus proſterni, orationi feruentiſſimè inſtare; gemitu cælos fauentes, & ſparſa in egenos prodiga ſtipe, Numen tibi propitium reddere: ſed quoties Te, ad opera bellorum auguſta dimittit, caſtris quoq; inferri, & inter aquilas tuas verſari poſceret; & ſi iuxta cordis anhelitum daretur, pro re Chriſtiana tecum, etiam in victimam ſanguinis iret. Quid Regia proles tua? quantus in ea Pater, & quàm ardens in prælia ſpiras? quomodò cœptis à Vienna bellorum experimentis, Sereniſſimus IACOBVS, Martem veſtigat, & vrget! quomodò in Dacia per Scythicos enſes, ad cruenta belli decora, toto pectore ferri; quomodò ad Camenecum, inter tot hoſtium tonitrua, gradu ad tormentorum ictus non moueri: hoſtemq; non computare, ſed ſub nube ſagittarum, fortiùs dimicare condiſcit, ceu ſub vmbra. Quò etiam Sereniſſimus ALEXANDER, delicium illud, & gemmula cordium, etiam vix ad negotium Martis, rupta viſcerum compage, non prouolans; calentiſſimis deſiderijs, & totus animo ſuſpirat; indignaturq; ætati, & dexteram tendit, ceu iam acinaci parem; prætextam exoſus, dum ſagum ambit, & dum pudet adhuc non eſſe Achillem.

Sed me tecum Auguſte noſter, Mars tuus bellator, & ardens ab opere cæpto rapuit; qui pridem attonitum in Te rapuit, & detinet Orbem. Quis non Dædalus tecum? quis non ingenio ales? quem Tu geſtorum tuorum, magnitudine ſublimaſti. Ga-

sti. Ganymedem aquila cælo intulit, Tu non eripies terris? quem cum fastigio gloriæ tuæ nubibus infers, dicendus elogijs omnibus; sed de quo Cyneas, & Demosthenes totus, cùm omnia dixerint; ceu nihil dixissent; restat velut post guttam, elogiorum semper Oceanus totus. Tu os de Te, Tu anima, Tu styli, & seculi purpura nostri. quo regnante, exemplo necdum in Patria nostra viso; pro tanta, fusi in rem Christianam Poloni sanguinis purpura; Regio sanguine tuo purpurati Principis, MICHAELIS RADZIEIOWSKI, Archiepiscopi Gnesnensis, & Primatis Regni; ac IOANNIS CASIMIRI DONHOFF, Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, gemina simul purpura, sacro Ecclesiæ murice rubet. Tu ergo fastos de Te impleas, nobis admirationem tui relinque; Tu Patrem Patriæ longæuus age, illo amore nostri, illa solicitudine pro cunctis, illa clementia admirabili; quâ cùm nihil vindices; nihil innocentiæ tuæ læsiuum, capiti Regio infestum, mille frigidissimis coniecturis armatum, palam in calamistris; occultè in puncturis, vbiq; malè suspicax; & cùm omnia feceris, semper aliquid desiderans, & carpens: cùm nihil, inquam eorum, iusta Nemesi pungas; vel abigas saltem; maiestate tamen, & arcano numine plenus, authoritate & imperio summus, rectèfactorum conscientia securus, semperq; Patrem Patriæ agis. quæ cum Tibi omnia debeat; etiam hoc non indecorum, Regiæ tuæ dexteræ opus, quod hîc loquimur, in præcellentissimi animi Heroe, STANISLAO SZCZVKA Vnicè debet: cui fastigium gloriæ maximum est, non vt illi quondam, sub Augusto militasse; sed vixisse, profecisse, militasse, creuisse ad summa omnia, maximo bellatorum & triumphatorum, sub IOANNE.

 ACRO-

ACROAMA

MAGNO, ET MERITISSIMO HONORI, & Solennibus eius auspicijs, inter acclamationes publicas, Apollinari voto, & barbito, APPLAVDENS.

ERGO tibi iam laudis apex, & maximus instat
Qui te poscit honos. iam publicus vndiq; plausus
In tua festa calet. ruimus, rapimurq; beatis
Accensi facibus; quo Tu lectissimus ipse,
Os, humeros, animiq; tui fastigia tollis.
Necdum te donas auidis, necdumq; videris;
Et iam carus ades, specie totusq; decora,
Mentibus occurrens, in amantum corde triumphas.
Quid serus veheris? quid gaudia nostra moraris,
Suspendisq; animos? cernis quam pendeat ex Te
Tota fauens pupilla tibi; quam brachia tendat,
Expectetq; tuos series longissima vultus.
Ecce Themis Regni, Patrij celsissima Iuris
Maiestas, Delphisq; tripos sublimior ipsis,
Augustam tollit faciem, cum murice toto
Nobilium cœtus; donec splendoris in auge,
Digna tuis meritis latè vestigia figens,
Culmen honoratum teneas. pro quantus! & orbi
Quam visendus ades Lechico! cui gratia passim

Ore

Ore præit placido, totisq́; effusa medullis
Ad sacra Lublini Capitolia, tramite pulchro
Sternit iter roseum, niuea cum grandine mistum.
Cèu cùm Tarpeios magno cum Cæsare colles,
Mars peteret victor, fracta ceruice superba
Bellacis populi, Rhodanum, Ligerimq́; bibentis;
Totq́; triumphorum non vno sanguine partas
Post laurus, fractasq́; acies, passusq́; cruentos;
Romuleo suspensa tholo post mille trophæa,
Plausibus, & meritis gaudens. tùm sedibus ipsis
Mota velut Latij Princeps, populisq́; timendum
Orbis Roma caput, vastissima brachia tollens,
Imperijq́; sinus immensos; corde sub ipso
Cæsaris augustas posuit cum nomine palmas.
Ast tibi cor Patriæ, diductaq́; viscera cordis
Candida pax aperit, pax dulcis, & aurea virtus,
Cum Consoq́; Themis. pro Te dulcedine mira
Perfusis animis, Musæ, Charitesq́; laborant;
Vt venias & amor nobis, & gratia dulcis;
Purpureosq́; apices teneas, quos iure mereris,
Celsiùs augendis gradibus. nam sanguinis in Te,
Priscus honos, splendorq́; nitet. natalibus altis
Lucia quem Romæ ceris commendat auitis
Stirps, per Hyperboreos tandem diffusa Triones
Stemmata Lechiadûm Bohemo cum stēmate iungens,
Littauicæ gemmasq́; mitræ, maternaq́; clari
Sanguinis à Ducibus Russis insignia, longo
Principis ex altò meriti venientia tractu.
Heroum fecunda parens Mazouia postquam
Littauicis SZCZVKAS pugnaces intulit oris,
Insignesq́; dedit vario discrimine rerum,
Tot meritis, titulisq́; viros. quos vnicus in Te
Claudis, & æternæ consignas omnia famæ.

A Lucijs Romanis Stemmatis, & Domûs Szczukarum, origo antiquissima. Ducum Russiæ, & Lithuaniæ consanguineus splendor. Ducum Mazouiæ erga hanc stirpem, insignis gratia.

H *Omni-*

Omnibus elogijs nam tu mihi sufficis vnus,
Ex æquo nunquam dicendus; culmina quæuis
Artis, & ingenij, virtutum culmine vincens.
Dotibus ex animi quantum te dixero! quantum
Indolis ex genio magnæ! conclaue beatum
Pectoris intranti, quantus se pandit in illo,
Qui sapit, & regitur Diua virtute Senatus.
Ille nitor mentis tersissimus, illa profundi
Vis animi, sensusq; grauis; censusq; togato
Diues, & exundans doctæ cultura Mineruæ.
Maiestas calami, neruosis sensibus vrgens
Robora scribendi, sed non sine nectare dulci,
Attica quod roseis fudit mellita labellis:
Principis obsequio Solij dignissima cuncta,
Mentibus augustis carum, meritòq; placentem
Te Lechico fecêre throno, sub iudice tanto;
Purpura quo Regum sapientiùs hâud tulit vnquam,
Parq; nihil cûi totus habet quà panditur Orbis,
Responsis trabeâ dignis, de Principe sensu.

Serenissim⁹ IOANNES III. Rex Poloniæ, Illustrissimum Szczukam, Regali iudicio, ex animi dotibus eligit, & probat.

Viderat Augustus noster, lux aurea mentis,
Vnica Sceptrigeri mens, & sapientia cordis,
Vnio Christiadûm, Regumq; corona IOANNES,
Belli-potens Mauors, Orientis Victor, & Atlas
Sarmatiæ, Patriæq; Pater; sed maximus idem
Exacti iudex animi, praxisq; suprema
Et censura bonæ mentis, cultusq; togati,
Iudicio summo, te totum viderat intus;
Ingentisq; dedit commissa negotia curæ,
Pectoris electi penetralibus, inq; probato
Condidit illa sinu. nam voto Principis in Te,
Respondit facies animi cultissima tota,
Tota capax grandis meriti, par rebus agendis,
Sublimi pariter sensu, calamoq; beata.

Hic

Hîc Tibi præcelſo magnæ faſtigia mentis
Succreuêre tholo. cêu cum radicibus altis
Nixa ſolo, creſcensq́; diu per viſcera terræ,
Mox poſtquam patulas ſe ramis tollit in auras,
Arboreæ molis ſurgens compage virenti,
Nubibus exæquans humeros, & culmina tandem
Vertice Libani ſtat ſpectatiſsima cedrus,
Secula manſurum ſpondens victura per æuum.
Sic Tibi Regales inter faſcesq́;, thronosq́;,
Culminis in ſummo geſtis robuſta, diuq́;
Succreuit iuſtis meritis exercita virtus,
Libano viſenda ſuo, Patriæq́; theatro
Brachia cum ramis iam nubibus æmula tollit;
Secula quò nôrint, quàm dignè creuerit Orbi
Hoc dextræ Regalis opus, quod cernitur in Te.
Nempè tuis primùm manibus collata Sigilli — Adminiſtrationem Sigilli Regij eidem confert.
Gratia; ſignandi tulerat cum munere, læti
Ominis auſpicium; quod quæ ſignabat, id ipſum
Mox habitura decus, gereret ſignanda per æuum
Digna manus Regum calamo, pariterq́; ſigillo.
Perſica gemmarum, vel fului dona metalli,
Vel Tyrias gazas, vel Ganges quidquid, & Indus
Ditibus in venis, & vaſto littore ſeruat,
Non tulit iſta manus, Phrygio cum vellere priſcas
Colchidos hâud ſignauit opes; ſed carius omni
Depoſitum pretio, Regum cortina quod intùs
Arcanum ſentit. Magni quos Principis ore
Reſpondet populis ſenſus. Tu murice toto
Hoc decus eloquij ſpiras; quo purpura Suadæ
Exultat Lechicæ, trabeæ cultusq́; triumphat.
Sed Tu, quam tantum penna felice Monarcham — Et expeditionum intimi Regalis cubiculi calamum.
Exprimis auguſtè. Patriæ ſic conſulis in rem
Publica dum rerum facies, & cauſa requirit.

Non Tibi flos oris tantùm, Pæstanaq; latè
Gratia mista rosis, facundo germine vernat:
Atticus ille lepos, quo suauis mentibus instas,
Nec solus Tibi dulcè sapit; sed rebus in ipsis
Te grauitas fundata Virum, candorq;, fidesq;,
Et veri cordatus amor, solidâsse videtur;

Regens Cancellariæ Regni deligitur

Quando Regens Regni summo dictamine factus,
Imples rem meritis, animo lectissimus vrges,
Venerat ex tanta Tibi quod virtute paratum.
Hîc vbi libertas, & Regni splendor, & omne
Consilij robur, reclusa Senacula pandit,
Orbis in aspectu Lechici, Tu iuris auiti

Ad Comitia Regni sæpè ex Palatinatu Nuntius.

Patritium columen fueras, & regula legum;
Martis sanguinei, grataq; negotia pacis
Matura virtute librans; fandiq; diserto
Permiscens dulcore, Charis velut vna sonabas.
Hinc tibi Diua Themis Regni, summumq; Tribunal,

Cum Illustr: Daniclouicio Thesaurario Curiæ, Commissarius Regius ad Tribunal Regni.

Collatum Patriæ vidit prænobile munus;
Cum DANIELOVICIO Regali sanguine quando
Detuleras, iuris patrij, legumq; supremis
Præsidibus, sellæ quod decreuêre curules,
Principe cùm Solio. Tu par vt sensibus altis,
Sic dictis grauibus, rerum sublimia tangens,
Officij partes implêsti fine decoro.
Finitimis etiam Tu fœdera gentibus, inter
Difficiles nodos, perplexaq; iura dedisti,

Commissarius ex Comitijs Regni, ad tracta tus cum Moschis declaratus.

Moschua cum nostris latè contermina terris
Mansurum tractaret opus; Tibi plena potestas
In re tanti operis concessa, fideliter illud
Prudenterq; egit, sensus & pectora noscens
Gentis Hyperboreæ; nimiùm quæ cauta, tenaxq;
Propositi, Sceptriq; potens, subnixaq; tanti
Viribus imperij, rerum momenta fatigat,

Heroasq; animos poſcit ; quos inter haberi
Tu quoq; dignus eras ; cuius prudentia flexit
In rem Sarmatiæ, vicini climatis artes.
Sic quoq; Pannonicis Tu deſignatus in oris,
Preſsouium fœdus ſi ſucceſsiſſet, in illo Commiſſarius ad deditionem Preſzow in Hũgaria, ſi ſucceſſiſſet.
Æſtu bellorum, tantos componere motus
Par fueras ; animosq; optabas poſſe rebelles
Lucrari tandem, ſæuisq; cruoribus eheu
Pacificum poſuiſſe modum ; ſed cladibus ardens
Maluit ipſa ſuis, rabies præfracta perire ;
Principis arbitrio tanti, fideiq; ſalutem
Credere quàm propriam ; cuius victricibus armis
Tunc Oriens fractus gemuit, gemuêre Tyranni
Odryſij tumidæ vires, & caſtra pudendo
Æternùm lugenda probro, ſorteſq; caducæ
Mæotidos, fuſuſq; Aſiæ cum fulmine terror.
Te quoq; tum Lechici virtus, & gloria Martis
Fecerat auguſtas Aquilas, magniq; IOANNIS
Regia caſtra ſequi, quò belli duxerat ardor.
Nempè Tibi pectus, quamuis cum Pallade tota
Impleret Conſus, Delphiſq; oracula digna
Promeret in ſummo, non toto pacis in vſus
Incubuit niſu. flammis ſed grandibus vſtum
Sauromatas inter, belli natiua popoſcit
Hoſtibus in medijs opera, & venerabile priſci
Sanguinis hoſtili partum cum ſanguine nomen.
Ergò Biſtonij dum claſſica ſæua Gradiui Militaris gloria, & ampliſſima in expeditionibus bellicis merita.
Sanguineas acies Lechis, & prælia Thracum
Horrificus cecinêre tubis ; Tu Marte, togaq;
Te cupiens præſtare Virum ; Vexilla ſecutus,
Iuiſti laterisq; comes, fidusq; Monarchæ,
Quà dedit immenſo tractu certamina Biſton,
Æra ciens, ſeu fortè domi, ſêu Cæſaris inter

Sub signis cohortis Regiæ, Serenissimi IOANNIS III. contra Turcas, & Scythas militat.

Austriacos latè fasces, Hunnosq; rebelles.
Quanta triumphorum series, quàm grande gerendis
Rebus erat spatium! motis à cardine summo
Viribus Eoæ trabeæ; dum Thracius Orbis
Totus anhelaret, semel vt mucrone cruento
Viscera Christiadûm transfigeret omnia, in ictu
Quo periit, tandemq; minis furialibus ipse,
Lymphatus cecidit. sed ad hoc, quæ cladis abyssus?
Quanta parabatur populorum cædua moles!

Expeditio Viennensis,

Quis cruor? & tumulus? nisi sors extrema Viennæ
Mutasset sortes alias; vicibusq; beatis
Horrendas superâsse vices, & fata propinqua
Cælesti potuisset ope, & Virtute IOANNIS.
Castra sub hoc Victore Tibi, palmaribus apta
Vndiq; bellorum curis, visenda trophæis,
Delicium, ardentisq; animi dulcedo fuêre;
Cùm rueres totus, quà confertissimus hostis
Immanes ausus, & barbara tela ferebat
Per Geticas acies. puduit virtute magistra,
Exemploq; manus Regalis, in hoste Gelono
Iustis vindiciis, non totum condere ferrum.
Indè Vienna tuis quidquid sub mœnibus actum,
Quidue triumphatum fuerit; mens conscia dicet,
Dicendoq; stupebit opus; cùi secula nunquam
Bellorum paribus sunt responsura triumphis.
Hîc Oriens factus tristissima scena doloris
Ipse sui, spoliumq; ingens, & fœda Vorago,
Post trabeæ palmas, maiestatisq; coronas,
Et Tibi victrices, fuso cum sanguine laurus
Emerito censu posuit; rubuisse cruentus
Ister vbi visus, cæsos fatalibus hausit
Vorticibus Thracas, Scythiciq; cadauera Ponti.

Altera circa Strigonium victoria.

Strigoniense decus, tanto Victore deinceps,

Panno-

Pannonicusq; labor, quidquid spectabile vidit,
Pars fueras, inuicta gerens præcordia Martis,
Et validos nisus, magni pro parte triumphi.
Dacica quid memorem; magno sub Principe gesta? Scythæ in Dacia sæpius fusi.
Quæsitumq; suis latè penetralibus hostem?
Quid tremulam Ponti rabiem, totiesq; fugacem,
Et tamen absorptam gladio; cùm fortibus ausis
Obstaret natura velut. sed victa, negatas
Compulsa est tandem Patriæ concedere laurus,
Principis inuictiq; animo, Martiq; stupendo.
Hæc fastis memoranda suis, Tibi grande theatrum
Virtutum, laudisq; ferent. quòd totus in armis
Sanguineas tuleris, per tot discrimina belli
Principis in facie palmas. cultissima rursùm
Mens tibi quod dederit, fieres vt Nestor ab ore,
Tullius à calamo, rerum pulcherrima nectens,
Cæsaris ex vtroq; decus, Martemq;, togamq;.
Omnia sed de Te, mihi quæ dicenda supersunt,
Vnica gemmarum consignet maxima gemma,
Absoluatq; tuas maiestas vnica laudes;
Sed quæ sola tibi pro culmine laudis, & omni
Maiestate sat est. hæc augustissima de Te
Ore coronato, gemmisq; nitente loquatur;
Secula quæ nobis, victricibus vndiq; gestis
Auro ceu solido, gemmisq; nitentia fecit,
In media rerum ferrugine. nempè triumphus
Orbis Sarmatici, & maiestas tota IOANNES,
Cor Tibi qui Regale dedit, consignet in ore
Augusto de Te; quicquid fastigia Vincit
Ingenij, calamos quicquid, cytharasq; fatigat.
Hic tibi sit Regalis apex, operumq; corona,
Illo iudicij sensu, vultuq; fauenti;
Quo probat, & iustis sublimat honoribus in Te,

Vndecimus annus, meritorum in obsequio Serenissimi Regis.

Excelsas animi dotes, meritisq; tot auctas;
Vndecimus quorum iam planè vertitur annus,
Constanti virtute tua, serieq; laborum,
In tantis rerum momentis. Lechicus Orbis
Hactenus euulsum quid enim non cardine toto
Viderat, & nutans, Orbis ceu pondere fracto,
Quod tamen augustis humeris, mirabile dictu
Extulit, inq; basi rursùm solidauit ahena,
Inconcussus Atlas noster, columenq; IOANNES.
Quid non tentatum bello? quid pace relictum?
Quæ moles non incubuit regnoq;, thronoq;?
Cum Vaticanus apex, & sacri purpura cœtus,
Religionis opus, tantiq; negotia belli,
Consilijs vrget grauibus. cùm Cæsaris ardet,
Vicinumq; latus petitur, furialibus armis;
Infusisq; Asiæ trucibus, Pontiq; molossis,
Austriadûm fibras lacerari, cùm gemit Orbis:
Viscera Podoliæ toties cùm Marte cruento
Erodit Biston. cùm Moscua nutat, & instat,
Fœdera promittit, resilit mox, rursùs amicos
Sollicitat nexus. Vapidis cùm Dacia technis,
Lechica nunc Regni fastigia, quærit, adorat,
Tutelamq; ambit; mox ludit, & arma Gelonum
In clades nostras sociat. cùm deniq; magni
Vndiq; Legati veniunt, à Persidos vsq;
Finibus, occiduisq; plagis, & Gadibus ipsis.
Hæc inter dum cuncta domi momenta fatiscunt,
Viribus exhaustis Patriæ, neruoq; cadente,
Sublatis opibus, consumpto milite, captis
Vrbibus & populis, tenuatis vndiq; rebus;
Bellorum feruente tamen tot motibus æstu,
Hosteq; tam vasto, cui nulla potentia par est;
Ni Deus hoc ageret, quod secula cuncta stupebunt,

Princi-

Principis inuicti dextrâ; cùi machina rerum
Tanta licet fortes humeros, & pectora firma
Exagitet; virtus oneri non cedit, & omni
Altior est operum serie. meliùsq; triumphat
Mole sub ingenti : sed Tu quoq; Principis inter
Ardua, fidus ades Solio, pars magna laborum
Factus; & Alcides infracto robore mentis,
Cùm tot sustineas, & tanta negotia; maior
Omnibus es, totusq; animo sublimior exstas:
Dignus in Europæ facie, quem maxima Regum
Maiestas, Romaq; caput, Soliumq; Viennæ,
Audiat, & videat Cyneam ; Legatio quando,
Publica Te poscet, quâ spectatissimus in Te
Lechiadûm radiabit apex, sensusq; patebit,
Quem de Te trabeatus honos, gemmisq; coruscans
Augustale dedit. Tu felix omine tanto
Culmen habe, quod iure capis, procedeq; magnis
Paßibus, ad decus hoc; quod Te circũstat, & ambit,
Lublinei super arce tholi. iam tota serenat — Præfectura Lublinensis, à Serenissimo Rege collata.
Hîc Tibi se lucis facies. iam brachia tollunt,
Complexusq; tibi dulces Consusq;, Themisq;,
Effusiq; parant animi, lætißima tempe,
Tot Tibi plaudentes oculi, tot corda, tot ora,
Tantus in occursu splendor; quo cingeris, & Te
Eripis immersis obtutibus. vndiq; votis
Secula mille ferens, & quicquid dulcia possunt
Barbita cum Musis, Charites cum Pallade tota;
Et quicquid sublime nitet, sellasq; curules
Spondet honoratis gradibus; quos Lechicus Orbis,
Iam Tibi, Virtutiq; Tuæ, meritisq; paratos,
Hæc Tibi dum moles operis celsißima surgit,
Voce triumphali, summa decreuit in auge.

 Sic

Sic agite ô Superi! toto date lilia cælo,
Spargite puniceos imbres, conchylia latè
Sidoniiq; rosas ostri, per cuncta fauentes,
Consentesq; date; vt cedris viuacibus iste
Viuat honos, illustris honos, mansurus in æuum;
Quem Tibi Regali, quoniam Vir Maxime voto
Decreuit, statuit, meritis poscentibus, atq;
Virtutis pretio, quo non est iustius vllum;
Omnia quæ de Te poterant oracula dici,
Bellatrix, victrix, sapiens, augusta IOANNIS
Gratia, maiestas, & murice tota sub vno
Orbis Christiadûm, sat de Te purpura dixit.